



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

14. Solutio argumentorum contra sexu[m] femineum obiectorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

quasi hominem perfectum vellet producere, feminam pro matre produci erravit, corrigendus erit utriusque error ille in beatis, ne saltem ex hac parte miseri sint. Denique ad quid erit diversitas sexus, si in resurrectione neque nubent, neque nubentur? Hæc pro ista sententia afferri possunt.

Sed luculentus, & in sexum femineum valde iniurius est error, dicere, vel credere, feminas in suo sexu non resurrecturas. Cuius est diametro contrarium, contra errores Ioannis Hierosolymitani, expressè Sanctus Augustinus, Tertullianus, S. Hieronymus, D. Thomas, & alij scholastici communiter tradiderunt. Augustini verba sunt: *Melius sapere videntur, qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant*. Utrique enim Deus, quod in homine fecit, cum primò eum conderet, id in resurrectione quoque reparabit. Quia igitur masculum & feminam creavit eos, initio mundi; in resurrectione quoque masculum & feminam reproducet. Adde, quòd tunc, ut idem numero corpus resurgat, necesse sit, præcipua saltem accidentia, & easdem conditiones individuantes restaurari, inter quas non minima est, sexus certus, & determinatus. Quare diversitas, diversus sua natura debetur sexus. Quæ ipsa diversitas ad speciei perfectionem pertinet. Ita enim illius diversi gradus per diversitatem sexus implentur. Quo semel statuto, facile est, ad argumenta obiecta respondere.

1. Igitur cum Apostolus ait, nos in perfectum virum occursuros, id non ob sexum ait virilem, sed ab animi virtutem, quæ tam in mulieribus; quàm in viris tunc erit. Quare per virum, hominem intellexit, sicut David, quando dixit: *Beatus vir, qui &c.* ubi utique feminas non exclusit. 2. Hieronymus, Basiliius, Hilarius, Athanasius alijsque Patres, magni fanè sunt authores, cum negant, in celo fore sexuum diversitatem, tantùm negant eam diversitatem fore, quoad usum, non autem quoad substantiam. Quia in resurrectione neque nubent, neque nubentur. S. Thomas clarè est pro nobis. Scotus, si in sexu femineo agnoscat imperfectionem, atque idcirco reliquas feminas putat in viros commutandas; cur eam imperfectionem soli Deiparæ attribuit? quæ, ut in hac vita virtute omnium

Bbbbbb 2 perfectis-

XIII.

S. August. lib. 22. de civit. c. 17. & seqq. Tertullian. lib. de resurrectione. cap. 60. S. Hieron. ep. 61 ad Pamachium. S. Thom. in sup. q. 81. a. 3. Scholastici in 4. d. 44. Gen. 1. 27.

XIV.

Psal. 1. 1.

Matth. 22. 30.



perfectissima fuit feminarum, cur tunc sola illis cedet sexus imperfectione? Alij aduersarij, qui neque hanc Virginem excipiunt, quæ probabilissimè cum corpore in cælum est assumpta, non debent eam innocentes dicere, *Sancta Maria*, sed, *Sancte Maria, ora pro nobis*, absurdum est siquidem, virum feminino genere salutare. Est igitur, & manet, manebitq; *Maria, & femina, & Virgo, & Dei Mater*. Certè multis nō solum Dei Mater, verum etiam aliæ sanctæ, vt S. Agatha S. Agnes, & alijs Diuæ, non mutato, sed suo sexu, apparuerunt. 3. In hac vita vir dominatur mulieri, sed propter robur corporis, & vigorem animi, atque ob imbecillitatem naturæ, qua femine potestati virorum subijciuntur. In resurrectione autem, ob hæc, non erit differentia secundum sexuum diuersitatem; sed secundum diuersitatem meritorum. 4. Ad potissimum fundamentum Scoti responderetur, sexum femineum nequaquam esse imperfectionem; sed potiùs perfectionem, licet minorem, quàm sit virilis perfectio. Quare etiam neque vitium est, sed natura, & conditio naturalis: quippe cum femina necessaria sit ad propagationem sobolis, & ad humanæ speciei conseruationem. Profectò si sexus muliebris esset aut vitium, aut imperfectio naturæ, in Paradiso, & statu innocentie non extitisset; aut Deus vitij imperfectionisq; author fuisset, quando ex viro feminam, ex Adamo Euam formauit. Quare dormitauit Aristoteles, quando scripsit, feminam esse marem occasionatum: siquidem Deus & natura per se intendit tunc feminam producere, vt scilicet per marem & mulierem genus humanum propagaretur. Quanquam dictum Aristotelis, ita possit exponi, quòd idcirco feminam dixerit esse *virum occasionatum*, quia vir perfectior est, quàm femina; natura autem in genere intendit potiùs producere id quod perfectius est. In genere, inquam; in specie enim atque individuo, haud rarò intendit producere, id quod minus est perfectum; intendit enim infantem, non virum gignere ex matre; & ex tali semine non virum sed feminam producere. Quoniam igitur femina non est error naturæ; nulla opus erit, in hoc sexu, resurrectionis correctione. 5. In qua resurrectione *neque nudent* sanè, *neque*